



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

LXXIV. Num certus sit Canonismus ad cognoscendos, colendosque
Sanctos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

horrent, ac deprecantur. Sicque Patres sunt intelligendi, ut docet te *Bellarminus ibidem*.

AD VII. Impudens sycophantia est: solum error typographi irrepsit, posito *lib. 4. pro lib. 3. Inst.*

QVÆSTIO LXXVI.

Num certus sit Canonismus ad agnoscendos, colendosq; Sanctos?

LUTHERANI pariter & CALVINISTÆ pernegant omnē Canonismū, rident, detestantur: ipsumque Diris deuouent Papam canonizantem; cuius ut omnia diffamant ceu Antichristiana; sic & Sanctorum canonizationem esse calumniantur Idololatricam *ἰδολολατρίαν*.

SVADENT istis apud Scharpium Scotobritannum in *Cursu Theol. Sect. 37. q. 2. 1.* Canonizationis nec mandatum; nec exemplum est in Scriptura; Et Papam in ea posse errare concedit *Bellarminus. 2. August. Multorum corpora honorantur in terris, quorum anime torquentur in gehenna. Quia hypocrisæ soli Deo noti sunt. 3. Solus Deus nouit, qui sunt sui. 4. Leo III. cepit canonismum: at tunc regnauit Antichristus. 5. Bellarm. c. 3. concedit damnatos pro beatis cultos. 6. Recensio Sanctorum in Scriptura non est canonizatio ad cultum, sed ad imitationem. Dein etiam impii recensentur.*

AUTOR. Quid agastalibus? Quo purget quis hellebero voluntariè intancens cerebrum? Serion' cum istis, an agam ridiculò?

I. Sed agam more ipsorum suo. 1. Vide age sis Luthero-caluinisticos Canonismos. In Lutherano teatro apud *Doctiss. Serarium l. 2. Litaneutici c. 4.* vocatur *Lutherus Sanctus Pater*. Quin i plede se ipso talia in *Colloq. Mensal.*

fol. 492. Ego sum Vir Dei. In tom. 2. Ien. fol. 92. b. Ego sum Sanctus Dei. In tom. 1. Ien. fol. 353. b. Ego sum Sanctus Domini. In tom. 2. Ien. fol. 49. a. Ego sum Angelus. Ibidem fol. 68. a. Verbum meum est Christi Verbum; os meum est os Christi. Quid plura? Beatus venter, qui me portauit. NB. Hæc verba reperiuntur in editione prima: in postrema omittuntur. Vide sui canonizatorem, ac tantum non pene Apotheosistam.

2. Lutherus an non in prophetiis suis, c. de Papatu, apud *Georg. Waltherum* ait: *Sanctus Ioannes Huss de me prophetauit. De Luthero Calvinista Sibrandus lib. 4. c. 1. ait, Sanctissimus Christi seruus*: Sic idem alibi *Caluinum* appellat: *Caluinus Oecolampadium, epist. 52.*

3. Videntur autem hoc inuidiæ læ in Coelites à Bogomilis hæreticis fuisse: quorum amentia dixit in Euāgelio præcipi, *Dæmonia, ne nocerent, colenda*; teste *Euthymio*. Qui iidem cum SS. Patrum aliquem nominabant, noluerunt Sanctitatis elogium præfari. At qui per Calvinistarum impietas Parisiis publicè nota est, & damnata. *Petrum, Paulum* dicunt scribunt; non *S. Petrum, S. Paulū*: Cum suum *Caluinum Sodomiticum* non citra præfationem *Monfieur* appellent; ut notat *Serarius in Tobiam cap. 2. quæst. 1.*

4. Notauit & *D. Driel* in *sica Antipericope Pareana, pag. 22.* Sacram ædem *Heideldergæ ad S. Spiritum* non vocari, sed duntaxat *ad Spiritum*. Testantur idē Lutherani *Heidbergæ* pulsi *Prædicantes, libro Tubingæ edito, anno 1585. pag. 21. 31. 32. 54.*

5. Similiter olim *Leo & Copronymus*

mus Iconomachi, *Sanctos*, vetabant appellari; teste Glyca in *Annal. parte. 4.* Leo etiam *templum Sanctorum XL martyrum*, non nisi *XL. martyrum* voluit vocari. Michaëlus, vt patet in *Miscellaneous*, vetuit imaginibus subscribi, *Sanctus*, &c. Ertela hæc ex ipsorum pharetra.

II. Nunc more demum meo Canonismum asseram: Quem esse infallibilem oportere, in *Genealog. p. 1. quest. 20.* partim ostendi.

1. Per Ecclesiam Beati ac Sancti differunt, non cœlesti felicitate, sed honore & testimonio publico felicitatis, ab Ecclesia declarato.

2. SANCTI agnoscuntur probabiliter ex miraculis, quæ aut viui aut mortui designarunt. Probabiliter inquam, cum & prodigia esse falsa queant, 2. *Thef. 2. & 2. Cor. 11.* Et vera miracula etiam à non Sanctis dentur. *Matt. 7. v. 22.*

3. Ergo infallibiliter cognoscuntur Sancti, 1. Vel Scripturæ testimonio: vt quos Apostolus, *Heb. 11.* in suo recenset Hagiologio. 2. Vel Iudicio Ecclesiæ: quæ 2 *Tim. 3.* *Columna & firmamentum est veritatis.* Quod iudicium Canonizatio dicitur, decernens honores Sanctis septemplex. 1. Nomen Sancti. 2. Inuocatio. 3. Aris & templis colli. 4. Missis & Horarum Canonicarum officiis celebrari. 5. Festos illi dies agitari. 6. Imaginibus in locis sacris representari. 7. Reliquias eorum in aris ac lipsotheis honorari.

II. Hunc diuorum honorum Canonismum adstruimus *Scripturis, Ratione, & Primana Consuetudine*, moreq; maiorum. I. Scripturis quidem. Nam Deo ad Canonizationem adlubescit:

Quia Vtriusque Instrumenti Scriptorib. eandem suggestit. Enimvero ab hisce, publico Ecclesiæ testimonio Sanctos voluit plures declaratos. 1. Patet *Ecl. 44. 45. &c.* quantum testatur inclytos virtutibus viros Sanctos? 2. Lucas in Actis Canonizauit Stephanum, Iacobum maiorem, Petrum, Paulum, Silam, &c. 3. Christus Apostolus: *Vos amici mei estis. Qui secuti estis me, vitam æternam habebitis. Pater Sanctifica illos; Serua illos, quos mihi dedisti. &c.*

2. Vin' Iussione cultus? Ecce *Ecl. 44.* *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum annuncient Ecclesia.*

3. Vin' Rationem Vtilitatis? 1. Hæc nostra Sanctorum imitatio est. *Heb. 113.* *Memento Præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis Verbum: Quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Atqui Canonismus eos, vt lucernas, in candelabro proponit. 2. Ad hæc cum membra simus vnius Corporis Christi; par est, vt, sicut afflictis compatimur, ita & glorificatis in cœlo congaudeamus in Ecclesia. *Psal. 150.* *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Alias ex Fide rationes repetere ex mea *Genealog. part. 1. q. 20.*

De Necessitate Canonismi vide cultissimum Nic. Serarium in *Litanico l. 2. c. 12.*

DICO AD I. Exemplum declarationis Sanctorum extat & mandatum: vt iam patet.

AD II. Verum est de multis in auro sepultris, & mausolæo honoratis: at non de Canonizatis. Nec mortuus vllus est hypocrita; nec viuus talis canonizatur.

AD

AD III. Deus nouit; at non solus: sed & ij, quibus reuelat per infallibilem Sp. Sancti assistentiam: quæ Papæ & Ecclesiæ præfò est.

AD IV. Leo III. publicum canonicum cœpit quoad solennitatem accidentalem, non quoad rem ipsam. Hæc vsus Ecclesiæ cœpit, tenuitque. *Bellar. cap. 8.*

AD V. At damnatos vnde constitit? Cōstitit postea; at nō fuerant canonizati vnquā. Dein: Coluerit quendā vulgus errore facti; at non intentionis. Nec vulgus locale præualet Ecclesiæ vniuersali.

AD VI. Scopus canonismi est & veneratio, non solum imitatio; patebit infra. Et impiorum recensio fit in eorum detestationem.

Q V Æ S T I O L X X V .

Quis, qualisque Cultus religionis debetur Sanctis?

LV THERANI Magdeburgenses Cent. 1. l. 2. c. 4. ol. 240. dicunt: *Omnis Sanctorum adoratio est ino placita*. Sic plerique cæteri cum velana conuociferatione.

CALVINVS *Instit. l. 1. c. 11. §. 11. & c. 12. §. 1. 2. & c.* nullum penitus Cultum patitur seu Angelis, sine aliis Sanctis deferri. Quod duplicem constituat Honorem, Diuinum, seu Religiosum, ui soli Deo; & Ciuilem, qui creaturæ cuiuscunque exhibetur. Πορò δαλέου, id est, seruire plus esse vult, quam λατρεύειν, id est, colere: ac proinde Colere vltum sine latria, esse colere sine Cultu; quod negari est. &c.

A V T O R. Plurima talia spuria vitulamina falce curtâ rescindam.

I. Cultus interior, exteriorue, cum triplicis existimatione Excellentiæ fertur: 1. Vel DIVINÆ ac infinitæ; & Hic

dicitur Latria. 2. Vel HVMANÆ; & est Obseruantia; 3. Vel MEDIÆ; & est Dulia. Ex quo liquet realem, non duntaxat verbalem, vt Caluino placet, differentiam esse Latriæ ab Dulia: Differunt autem vt finitum & Infinitum. Itaque infinities Latria Dei superat Duliam Sanctorum.

II. Quare soli Deo latriæ; Sanctis in cœlo beatis duliæ cultus debetur. 1. Sic Abraham, *Gen. 18.* Loth, *Gen. 9.* Balaam, *Num. 22.* Iolue, *cap. 5. adorauit pronus in terram Angelum*: Quod non erat ciuilitate, sed religiosè adorare, vt quouis homine altiore Dei ministrum. 2. Sic adorati sunt Sancti. Saul, *1. Reg. 18.* animam Samuelis adorauit; quem ideo nec Samuel, nec Scriptura reprehendit. Itâ Abdias adorat Heliam, *3. Reg. 18.* et si minorem maior. Sic filij prophetarum, *4. Reg. 2.* audito Spiritum Eliæ requieuisse super Helisæum, *adorauerunt cum proni in terram*. Sic, *Dan. 2.* Nabuchodonosor secum captiuum adorauit Danielelem, ob intrinsecam sanctitatem eius. Ita SS. Patres. &c.

III. Quod prohibiti quidam sunt ab adoratione; error in causa fuit. Vt Cornelius in Petro quid Diuinum inesse putabat: Sic, *Act. 14.* Licaones in Paulo & Barnabo: *Apoc. 1.* Ioannes in Angelo, ait *Aug. quest. 61. in Gen.* putauerit apparere Christum; cum dixisset: *Ego sum primus & nouissimus; sui mortuus, & ecce sum uiuens.*

S. Patres autem reprehendunt eos, qui ex hominibus Deos faciebant. Nos verò, ait S. Cyrillus Alexand. l. 6. in Iulianum: *non Deos factos esse dicimus Sanctos Martyres; sed omni honore dignari consueuimus.*